

De Senecae fabula, quae inscribitur Troades.

Scriptis W. Braun.

Duabus potissimum causis moveor, ut Senecae quae feruntur esse fabulas dignas existimem, quae non plane negligantur vel despiciantur ¹⁾. Quarum altera in eo posita est, quod Attii, Ennii, Pacuvii ceterorum eius aetatis fabulis deperditis, Varii, Ovidii eiusdem generis carminibus, quae non exiguis laudibus extulit Quintillianus ²⁾, cum iniquitate temporis destituti simus, solae illae tragoediae effugerunt ingentem quasi ruinam, qua hoc litterarum Latinarum genus labefactatum est. Tum vero statuendum illud putamus, quanto si reputamus momento fuerint ad excolendam mediae quam vocant aetatis artem dramaticam ³⁾. Quas quidem res ita sese habere, quamvis omnes, qui aliquid de eis iudicare possunt, consentire mihi persuadeam, de arte sane scriptoris varia sunt ac dissidentia doctorum hominum iudicia. Quae quidem hoc loco longum est dinumerare. Itaque hoc dicere liceat, ex illis quoque fabulis intelligi me putare, quanto opere illius aetatis poetae Romanorum a Graecorum simplicitate ac dignitate recesserint. Euripidis enim, Sophoclis, Aeschylus fabulas in componendis suis imitatum esse Senecam, nemo ignorat, qui aliquid operae atque curae in earum studio consumpserit. Nuper vero cum aliis locis Phoenissas eius et Oedipum fabulas tractaverim ⁴⁾, ab hoc munere ad me delato non alienum videtur, qualis eiusdem auctoris fabula, quae inscribitur Troades, conlata existat cum Euripidea illa, iam vocare in disputationem. Neque est vero propositi mei in personarum utriusque fabulae descriptione versari. Sed id agam, ut quae fabulae finibus circumscripsit suae unde petiverit Seneca lecturis exponam.

Verum priusquam, quae proposui mihi, adgrediar, pauca fieri non potest quin de inscriptione fabulae praemittam. Ac »Troas« quidem, quod tum notae deterioris libri tum excerpta Thuanea fabulae tribuunt nomen, missum facere liceat. Sed quaestio eo continetur, Hecubam an Troades fabulam poeta inscripserit. Illud quidem nomen exhibet tum codex Lugdunensis, tum Valerius Probus, »Troades« vero optimus ille liber Florentinus ⁵⁾. Ceteris autem in Senecae fabulis, cum mihi quidem in eiusmodi discrepantia certum videatur posse arcessi argumentum ex

1) Cf. quod hac de re disputavi mus. rhen. phil. ser. rec. XX, p. 271.

2) Inst. or. I, 1, 98.

3) Vide quae hac de re disseruit L. Mueller Iahn. annal. phil. LXXXIX, p. 409 s. ipseque addidi mus. rhen. XX, p. 271.

4) Cf. de Phoenissis mus. rhenan. XX, 271 ss. — de Oedipo ibid. XXII, 245 ss.

5) Cf. R. Peiperi et G. Richteri recens. Senecae tragoed. (Lips. 1867) p. 229.

eius graecae fabulae nomine ¹⁾, quam ipsam sibi ad imitandum poeta proposuerit, hac in fabula non sine causa dubitatio movetur, quatenam genuina sit inscriptio. Nam accuratius latinam si comparaveris cum Euripidea illa, quae Troades nominatur, plura de eis expressa invenies, quae dissentiant alia. Atque ita quidem argumentum mutavit, ut Troadum fabulae sprete quibusdam ad amplificandam suam cum Andromacham tum Hecubam Euripideas adhibuerit ²⁾. Summa autem oeconomia, quae vocatur, cum sit ad Troadum adcomodata, huic rei satis validum inesse videtur argumentum quo Florentini libri fides comprobetur, nisi a poeta Troades inscriptam esse fabulam »vel« Hecubam conicere malueris.

Iam vero videamus, quem in modum Euripidis fabulis, quas supra dixi, in sua componenda usus sit Seneca ³⁾.

Atque Euripides primum in scenam inducit Neptunum. A quo, ubi eversam questus est urbem, quam ab Apolline ipsoque exstructam studio et amore usque amplexus esset, Minerva impetrat, ut fluctibus excitatis redeuntes se polliceatur interempturum esse Graecos, qui sceleribus quibusdam admissis summam deae invidiam atque iram sibi conflaverant (1—97). Iam vero Hecuba, quam lacrimantem ante tabernaculum sedere Neptunus nuntiaverat (v. 36 s.), suam suorumque fortunam acerbissimam lamentari coepit. Qua lamentatione excitae cum adsint Troades captivae, quarum est chorus, alternos cum illa cantus fundunt et querelas, utpote quae ex patria iam deducendae quinam sibi illorum regum sit sequendus invisorum nesciant (98—234). Adhuc de quibus disputavimus, eis ita usus est Seneca, ut Neptuni et Minervae personis prorsus omissis Hecubam confestim introduxerit. Quam cum primum solam deinde cum matribus Troianis — nam in Senecae quoque fabula harum est chorus — et excisam Trojam et suorum cladem finxerit plorantes, tantum abest ut omnia illius quem dixi deorum sermonis neglexerit, ut Hecubae partibus quaedam tribuerit. Hoc quoque variavit poeta Latinus, quod Hecubam Priami filias nurusque sorte adhibita distribui in victores procul conspicientem fecit (v. 57).

Iam vero in singulis, quem in modum Euripidis vestigiis ingressus sit Seneca, ex utriusque fabulae locis, quae infra contuli, videbis (Sen. 1—163, Eur. Troad. 1—235)

Sen. 1 ss. (Hec.)

Eur. Tr. 99 ss. (Hec.)

Quicumque regno fidit et magna potens

οὐκέτι Τροία

Dominatur aula, nec leves metuit deos,

ταῖς καὶ βασιλεῖς ἔσμεν Τροίας

Animumque rebus credulum laetis dedit;

μεταβαλλομένον δαίμονος ἀνέχον.

Me videat et te, Troia.

Sen. 6 s. 15 ss. (Hec.)

Eur. 4 ss. (Nept.)

columen eversum occidit

ἔξ οὗ γὰρ ἀμφὶ τήρδε Τρωικὴν χθόνα

Pollentis Asiae, caelitum egregius labor.

Φοῖβός τε καὶ γὰρ λαῖνονος πρόγονος πέριξ

En alta muri decora congestis iacent

ἰσοδοῖσιν ἔθεμεν κανόσιν, οὐποτ' ἐκ φρενῶν

Tectis adusti ⁴⁾ regiam flammae ambiunt;

εὔνοι' ἀπέστη τῶν ἐμῶν Φρυγῶν πόλις,

Omnisque late fumat Assaraci domus,

ἢ νῦν καπνοῦται καὶ πρὸς Ἀργείου δορός

1) Cf. mus. rhen. XX, p. 273.

2) Itaque a vero aberravit Heinsius, cum putaret, Hecubam Euripidis vix commune quicquam habere cum Senecae Troadibus (vid. Sen. trag. edit. Gronov. p. 365).

3) Et in versuum numeris adferendis et in ipsis versibus adscribendis secutus sum Eurip. trag. edit. Nauck. (Lips. 1857) Senecae trag. edit. Gronov. (Lugd. Bat. 1661).

4) »congestis . adusti« pro »congesti . adustis« Flor. secutus scripsi.

Non prohibet avidas flamma victoris manus Diripitur ardens Troia.	ἔλαλε πορθηθεῖσ'.
Sen. 26. 27 (Hec.)	Eur. 18. 19 (Nept.)
spolia populator rapit	πολὺς δὲ χρόσος Φοῖνιά τε σκυλεύματα
Dardania. praedam mille non capiunt rates.	πρὸς τὰς Ἀχαιοῶν πέμπεται.
Sen. 44 ss. (Hec.)	Eur. 16. 17. (Nept.)
Vidi execrandum regiae caedis nefas	πρὸς δὲ κορηίδων βάρθροις
Ipsasque ad aras maius admissum scelus Aiacis armis: ¹⁾	πέπτωκε Πριάμης Ζητὸς Ἐρκειῶν Θανάων.
	Eur. 69 (Minerva) 70 (Nept.)
	οὐκ οἶσθ' ἰβρισοθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμοῦς; οἶδ', ἠνίκ' Αἴας εἶλκε Κασάνδραν βίαν.
Sen. 57 ss. (Hec.)	Eur. 28. 29. 41 ss. (Nept.)
Dominum, ecce, Priami nuribus et gnatis legens	πολλοῖς δὲ κοκκυτοῖσιν αἰχμαλωτίδων βοῇ Σκιάμανδρος δεσπότας κληρομένον.
Sortitur urna. praeda quem vilis sequar? Hic Hectoris coniugia despondet sibi; Hic optat Heleni coniugem; his Antenoris Nec deest tuos Cassandra, qui thalamos petat. Mea sors timetur.	καὶ τὰς μὲν Ἀρκάς, τὰς δὲ Θεσσαλὸς λείως εἶληξ' Ἀθηναίων τε Θηροῖδαι πρόμοι, ἦν δὲ παρθένον μεθ' ἧκ' Ἀπόλλων φρομάδα Κασάνδραν ἄναξ τὸ τοῦ θεοῦ τε παραλιπὼν τό τ' εὖσεβὲς γαμῆ βραχίως οὐκίον Ἀγαμέμνον λέγος.
	Eur. 190 s. (Hec.)
Sen. 63 ss. (Hec.)	τῷ δ' ἁ τλάμων
Lamenta cessant? turba, captivae, mea, Ferite palmis pectora et planctus date, Et iusta Troiae facite.	ποῦ πᾶ γαίης δουλεύσω γραῖς;
	Eur. 36 ss. (Nept.)
	τὴν δ' ἀθλίαν τὴνδ' εἴ τις εἰσορᾶν θέλει πάρεσαν, Ἐκάβην κειμένην πυλῶν πάρος, δάκρυα χέουσαν πολλὰ καὶ πολλῶν ὑπερ.

Iam in eis, quae canticum illud (67—163) sequuntur, Troadum argumentum a Seneca fictum esse patet. Is enim primum narrantem finxit Talthybius, cum ingenti signorum terrore Achillis ab inferis exstitisse umbram ac, ne debiti sibi auferrentur honores petivisse, ut Polyxena, Hecubae filia in tumulo suo a Pyrrho mactaretur. Qua de re quae Pyrrhi exorta sunt iurgia et Agamemnonis, quippe qui tantum ne committeretur facinus prohibere studeret ²⁾, a Calchante dirimuntur canente, nisi cum Polyxena tum Astyanax, Hectoris filius mortem occubuerint, temere ante Graecos sperare, fore ut secundo vento cursum teneant (203—370). Quae vaticinatio cantico excipitur, quo chorus vanam et futilem statuit esse opinionem eorum, qui animam sibi persua-

1) »Aiacis« coniecit Gronovius. Neque enim assentiri possum R. Peipero, verba delenti: (ipsas)que maius admissum scelus Aeacis armis.

2) Apud Euripidem quoque Agamemno Hecubae rebus studet. cf. enim

Hec. 120 sq. (chor.) ἦν δὲ τὸ μὲν σὸν σπεύδων ἀγαθὸν
τῆς μαντιπύλου Βάκχης ἀνέχων
λέκτρ' Ἀγαμέμνον.

deant hac in terris vita peracta non deleri atque extingui (371—408) ¹⁾. Iam vero Euripidis Troades perlustrantibus nihil prorsus nobis occurrit de iurgio regum illo, nihil de Achillis umbra, Polyxenam sibi petente. Sed Cassandram ut Agamemnoni deduceret Calchantem missum finxit Euripides (Tr. 256 ss). At Hecubam si eiusdem inspexeris fabulam, ex ea desumptum invenies, quod illius Troadum fabulae partis finibus terminari voluerit Latinus. Ibi enim ut Hecubam Achillis umbra in somniis visa anxiam finxit atque perterritam, chorum poeta inducit, qui Achillis umbram confirmet cum ab inferis exstitisse tum postulasse, ut Polyxena sibi immolaretur (Hec. 1074). Ac ne iurgia quidem illa plane de suo addidit, sed eiusdem nisi fallor fabulae versibus quibusdam adductus (130 ss.) ²⁾. Nonnunquam enim Senecam ut novae quasi fabulae speciem adferret pauca quaedam ex Graecorum fabulis desumpta deprehendimus dilatasse ³⁾. Quam rem hoc quoque loco admisisse poetam ex his versibus erit perspicuum.

Sen. 166 s. (chor.)

Quae causa ratibus faciat et Danais moram
Effare.

Sen. 179 ss. (Talthyeb.)

Et hiatus Erebi pervium ad Superos iter
Tellure fracta praebet ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threicia qualis arma proludens tuis
Iam, Troia, fatis stravit

Sen. 190 ss. 195 s. (Talt.)

Implevit omne littus irati sonus:
Ite, ite inertes. manibus meis debitos ⁴⁾
Auferte honores
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur et tumulum riget.

Sen. 208 ss. (Pyrrh.) cf. 292 ss.

. . . iam suum cuncti duces
Tulere pretium. quae minor merces potest
Tantae dari virtuti?

Sen. 256 ss. 263 ss. (Agam.)

. . . noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
263 ss. magna momento obrui
Vincendo didici. Troia nos tumidos facit
Nimum ac feroces? stamus hoc Danaï loco,
Unde illa cecidit.

Eur. Hec. 109 ss. (chor.)

τύμβον δ' ἐπιβάς
οἶσθ' ὅτε χρυσέοις ἐφάνη σὺν ὄπλοις,
τὰς ποροπόρους δ' ἔσχε σχεδίας
λαίφη προτόνοις ἐπεριδομένας . . .

Eur. Hec. 113 ss. (chor.)

τάδε θωύσσων·
ποῖ δὴ, Λιναοί, τὸν ἐμὸν τύμβον
στέλλεσθ' ἀγέραστον ἀφέντες;
πολλῆς δ' ἔριδας ξυνέπαισε κλύδων,
δόξα δ' ἐχώρει δίχ' ἀν' Ἑλλήνων
στρατὸν αἰχμητῆν, τοῖς μὲν διδόνα
τύμβῳ σφάγιον, τοῖς δ' οὐχὶ δοκοῦν.

Eur. Hec. 282 ss. (Hec.)

οὐ τοὺς κρατοῦντας χροῖ κρατεῖν ἢ μὴ χροεῶν,
οὐδ' ἐντυχοῦντας εὐδοκεῖν πράξειν ἀεὶ·
κἀγὼ γὰρ ἦν ποτ', ἀλλὰ νῦν οὐκ εἴμ' ἔα,
τὸν πάντα δ' ὄλβον ἤμαρ ἐν μ' ἀφείλετο.

1) Versum 401: »quo non nata iacent« Gronovius desumptum putat ab Euripide conl. Troad. v. 636
τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω.

2) Cf. Hec. 130 sq. (chor.) σπουδαὶ δὲ λόγων κατατεινομένων
ἦσαν ἴσαι πως.

3) Cuius rei exempla quaedam adtuli mus. rhen. XX, p. 278. XXII, pp. 248. 274.

4) Hanc seriem verborum ex Flor. libro restituit R. Peiper.

- Sen. 292 ss. Eur. Hec. 260 ss. (Hec.)
 (Pyrrh.) Nullumne Achillis praemium ma- πότερα τὸ χορῆν σφ' ἐπήγαγ' ἀνθρωποσφαγεῖν
 nes ferent? πρὸς τύμβον, ἔνθα βουθνεῖν μᾶλλον πρέπει;
- (Agam.) Ferent et illum laudibus cuncti ἢ τοὺς κτανόντας ἀνταποκτεῖναι θέλων
 canent; εἰς τίνδ' Ἀχιλλεὺς ἐνδίκως τείνει φρόνον;
- Quod si levatur sanguine infuso cinis
 Opima Phrygii colla caedantur gregis
 Fluatque nulli flebilis matri cruor.
 Quis iste mos est, quando in inferias homo est
 Impensus homini? ¹⁾
- Iam vero Seneca somnii cuiusdam pavore conturbatam inducit Andromacham. Cuius metus cum quid sit caussae senex quidam quaesisset, in quiete illa se dicit Hectorem vidisse iubentem,
-
- 1) Delrius »hoc iurgium censet magna ex parte desumptum ex iurgio Tencri et Atridarum in Sophoclis Aiace (cf. Gron. ad. vv. 203. 341). At etiamsi negari non possit, ea quae vv. 340. 341 leguntur »nempe cognati maris.« Atrei et Thyestae nobilem novi domum« non nimis absona esse ab eis, quae apud Sophoclem exstant v. 1291—97 (rec. Dind.), tamen contendere non dubito poetam ut iurgia ista componeret potius illis usum esse iurgiis, quae in Andromachae fabula inter Menelaum et Peleum exorta finxit Euripides (577—746). Cum enim ex eis, quae infra disputabimus fieri non poterit quin statuamus ut ad Troadum fabulam componendam Andromacham Euripideam adhibuerit, tum in hac fabulae parte non pauca videntur ex eadem esse expressa. Sunt vero haec:
- Sen. 250. (Agam.) Eur. 645 s. (Menel.)
 Iuvenile vitium est, regere non posse impetum. τί δῆτ' ἂν εἶποις τοὺς γέροντας ὡς σοφοὶ
 Sen. 248 s. (Pyrrh.) καὶ τοὺς φρονεῖν δοκοῦντας Ἕλλησιν ποτε,
 at tuam natam parens Eur. 624 s. (Pel.)
 Helenae immolasti. πρὸς τοῖσθε δ' εἰς ἀδελφὸν οἱ' ἐφύβρισας,
 σφάζει κελύσας θυγατέρ' εὐηθέστατον;
- Sen. 301 ss. (Pyrrh.) (cf. 260. 315.) Eur. 703 ss. (Pel.)
 O tumide, rerum dum secundarum status ὧς καὶ σὺ σὸς τ' ἀδελφὸς ἐξωγκωμένοι
 Extollit animos; timide cum increvit (sic Flor.) Τροία κάθησθε τῇ τ' ἐκεῖ στρατηγία,
 metus: μόχθοισιν ἄλλων καὶ πόνοις ἐπηρμένοι.
 616.
 ὅς οὐδὲ τρωθεῖς ἦλθεσ ἐκ Τροίας μόνος.
- Sen. 303 s. (Pyrrh.) Fur. 629 ss. (Pel.)
 Regum tyranne, iamne flammatum geris ἄλλ' ὡς ἐσείδες μαστόν, ἐκβαλὼν ξίφος
 Amore subito pectus ac Veneris novae? φλημ' ἐδέξω, προσδοτὶν αἰκάλλων κῆνα
 ἦσσαν πεφυκὼς Κύπριδος, ὦ κάκιστε σύ.
- Sen. 308 s. (Pyrrh.) Eur. 588 (Pel.) cf. 706 s.
 et nimium diu σκήπτρῳ δὲ τῷδε σὸν καθαιμάξω κάρα.
- A caede nostra regia cessat manus. Eur. 638 (Pel.)
 Sen. 342 ss. νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες,
- Agam. Ex virginis concepte furtivo stupro Eur. 706 s. (Pel.)
 Et ex Achille nate, sed nondum viro. δεῖξω δ' ἐγὼ σοι μὴ τὸν Ἰδαῖον Πάριον
 Pyrrh. Illo ex Achille ἦσσω νομιζειν Πηλέως ἐχθρόν ποτε, . . .
- Sen. 347. (Agam.)
 Illo ex Achille, qui manu Paridis iacet.

Astyanactem filium Graecorum eripi insidiis. Quare cum diu ancipitem animum gessisset, cuius loci praesidium esset tutissimum, senis illius consilio obsecuta in sepulcrum Hectoris puerum abscondit. Vixdum id erat factum, cum Ulixes adest, ut ad mortem Astyanactem deposcat. Ac primum quidem Andromacha obisse filium dicitur neque quidquam Ulixes, quamvis cruciatus se admoturum esse minetur, efficere potest, ut illa quid sit rei confiteatur. Tum vero omnibus quae composuerat illa dilutis mendaciis, ubi sepulcro absconditum Andromacha iussit prodire, matris ne magnae quidem preces ad salutem pueri valent. Etenim Ulixes mora data exgiua matri flagitanti ut postremum exoculari et amplecti filium liceret iam moriturum, ad supplicium eum abripi iubet subeundum (409—813).

In his vero componendis, quae tertii finibus actus circumscripsit Senecam Troadum fabulae argumentum mutasse apparet. Andromacha quidem etiam ibi cum Astyanacte scenam ingressa fingitur. Sed quae sibi suisque accidissent ut cum Hecuba conquesta est, relata Polyxenae caede percussam reginam consolatur. Namque maiore se vivam quam mortuam illam docet esse obrutam miseria, quippe quae spe qua mortales sublevarentur omni sit deiecta (Troj. 577 ss.). De somnio vero vel re quadam simili, qua sit perterrita, nihil prorsus commemorat. At Hecubae fabulam perustrantes in ipsam Hecubam incidimus ex eis, quae secundum quietem ei visa sunt et filio timentem et filiae suae (Hec. 73 ss.). Quibus rebus ita usus est Seneca, ut cum in priori fabulae parte ea, quae in somnis illa se vidisse putaret, re vera facta esse fingeret, tum hoc loco somnio excitatem vellet Andromacham, ut cur moerore ea confecta esset caussam afferret. Quod vero abscondi poeta fecit Astyanactem, eam rem ex Andromachae fabula videtur transtulisse, qua in fabula Molossum legimus filium, ut a Menelai et Hermionae eius filiae defenderetur insidiis, ab Andromacha foris esse absconditum (Andr. 47 ss.). Neque desideratur ibi serva quaedam fidelis, quae simili quodam, quo senex ille apud Senecam, dolore calamitatis Andromachae imminentis permovetur (Androm. 56 ss.). Talthybi denique partes esse, ut deposceret Astyanactem Euripides voluit non Ulixis, quem quidem in Hecuba fabula mitti finxit, ut Polyxenam ad mortem deduceret obeundam (Hec. 709 ss.).

Ex his vero utriusque fabulae partibus, quas adumbravi, hi versus sunt conferendi. Quibus adiungere liceat ea, quae ex imitatione quadam extremae fabulae Euripideae composita actui tertio Seneca inseruit.

Sen. 498 ss. (Andr.)

Quis te locus, quae regio seducta, in via
Tuto reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos
Hector tuere;

Sen. 524 ss. (Ulix.) ¹⁾

Durae minister sortis, hoc primum peto,
Ut ore quamvis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra. Graiorum omnium
Procerumque vox est, petere quos seras
domos

Eur. Andr. 47 ss. (Andr.) (cf. 309)

ὄς δ' ἔσα παῖς μοι μόνος, ὑπεκπέμπω λάθρα
ἄλλους ἐς οἶκον, μὴ θάνη φοβουμένη.
ὁ γὰρ φρεσὺς αὐτὸν οὐτ' ἐμοὶ πάρα
προσωπελῆσαι, παιδί δ' οὐδεν ἔστ' ἀπὸν . . .

Eur. Troad. 709 ss. 719 (Talth.)

Φρυγῶν ἀρίστον πρὶν ποθ' Ἐκτωρος δάμαρ
μὴ 'μὲ στυγῆσθαι' οὐχ' ἔκων γὰρ ἀγγελῶ
Δαναῶν τε κοινὰ Πελοπιδῶν τ' ἀγγέλματα
κτενοῦσι σὸν παῖδ', ὡς πύθη κακὸν μέγα. (719)
καὶ δ' Ὀδυσσεὺς ἐν Πανέλλησιν λέγων. (721)
λέξαι ἀρίστον παῖδα μὴ τρέφειν πατρός

1) His versibus Senecam imitatum esse Eur. Troad. 709 ss. recte iam animadvertit Farnabius (cf. Gron. ad h. v.).

Hectorea soboles prohibet. hanc fata expetunt, (723)

Sollicita Danaos pacis incertae fides
Semper tenebit, semper a tergo timor (725)
Respicere coget, arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus eversis dabit.
Sen. 620 (Ulix.)

Tibi gratulandum est, misera, quod nato
cares,
Quem mors manebat saeva, praecipitem
datum

E turre

Sen. 577 ss. (Andr.)

Vitam minare. nam mori votum est mihi.
Ul. Verberibus, igni, morte, cruciatu eloqui
Quodcunque celas adiget invitam dolor.

Sen. 703 s. (Andr.)

Miserere matris unicum afflictae mihi
Solamen hic est. ¹⁾

Sen. 739 s. (Andr.)

An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit?

Sen. 766 ss. (Andr.)

O dulce pignus! o decus lapsae domus!
Summumque Troiae funus! o Danaum timor. ²⁾

Genetricis o spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar: vota destituit deus.

ῥῆγαι δὲ πύργων δεῖν σφε Τροικῶν ἄπο.

Eur. Andr. 453 (Andr.)

ἔμοι δὲ θάνατος οἷχ οὔτω βαρὺς
ὡς σοι δέδοκται.

Eur. Andr. 316 ss. (Menel.)

ταῦτ' οὖν λογίζου, πότερα καταναεῖν θέλεις
ἢ τόνδ' ὀλέσθαι σῆς ἁμαρτίας ὑπερ . . .

Eur. Andr. 406 s. (Andr.)

εἷς παῖς ἔδ' ἦν μοι λοιπὸς ὀφθαλμὸς βίου.
τοῦτον κτανεῖν μέλλουσι . . .

Eur. Troad. 1160 s. (Hec.) ²⁾

(δείσαντες) μὴ Τροίαν ποιεῖ
πесоῦσαν ὀρθώσειεν;

Eur. Troad. 1164 s. 1187 s. (Hec.)

πόλεως δ' ἀλόουσης καὶ Φρυγῶν ἐφθααμένων
βρέφος τοσόνδ' εἰδέσασθ'; . . .
οἴμοι τὰ πόλλ' ἀσπάσμαθ' αἶ τ' ἔμαι τροφαί
πόνου τ' ἐκείνοι φροῦδά μοι. (cf. 1252 ss.)

1173. 1175 ss. (Hec.)

κρατὸς ὡς σ' ἔκειρεν ἀθλίως . . .
ὄν πόλλ' ἐκήπευσ' ἢ τεκοῦσα βόσπιχον
φιλήμιοι τ' ἔδωκεν.

1180 s. (Hec.)

ὦ πολλὰ κόμπους ἐκβαλὸν φίλον στόμα
ἄλωλας, ἐψεύσω μ'. . . .

1) »hic« pro »hoc« scripsi cum Peipero.

2) Haec verba Euripidis iam a Farnabio ad Sen. Tr. v. 740 adlata sunt.

3) Versum 767, quamquam ne minima quidem subest suspitio, delevit Peiper. Istam vero textus recensionem recte vituperavit B. Schmidt, cum scriberet (Iahn. ann. phil. XCVII, 797 s.) was insbesondere die Annahme von Interpolationen betrifft, so kann man bei einem anerkannter Massen so üppigen und schwülstigen Dichter wie Seneca nicht vorsichtig genug sein Es geht aber hieraus hervor, wie verkehrt es ist, in diesen Tragödien Verse tilgen zu wollen, welche in der bezeichneten Eigenthümlichkeit Senecas ihre genügende Erklärung und relative Rechtfertigung finden.

Sen. 775 ss. (Andr.)

Non arma tenera parva ¹⁾ tractabis manu,
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris: nec stato lustris die
Solemne referens Troici lusus sacrum
Puer citatas nobilis turmas ages:

Sen. 792 ss. (Andr.)

. . . Quid meos retines sinus,
Manusque matris? cassa praesidia occupas
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuventus applicat latus: . . .

Sen. 812 s. (Ulix.)

. . . Nullus est fendi modus
Abripite propere classis Argolicae moram.

Chorici quod inde sequitur argumentum (814—860) apud Euripidem in priori Troadum fabulae parte agnoscimus (Tr. 197 ss.). Sollicitas enim fingit Troades captivas, cum quaenam cuique terra et domicilium sorte evenerit nesciant. Ac quidem summa cum inter se concinant, verbis vehementer discrepent, haec fere componere liceat:

Sen. 851 ss. (chor.)

Quolibet tristis miseris procella
Mittat et donet cuicumque terrae:
Dum luem tantam Troiae atque Achivis
Quae tulit, Sparte procul absit: absit
Argos et saevi Pelopis Mycenae.

Et nocens saxis Ithace dolosis.

Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris Hecube videndam

Ducet?

Quae in utraque inde fabula leguntur, ea quoque inter se differunt. Nam in Euripideae hac tragoediae parte Menelaus adest, ut de Helena supplicium sumat flagitiorum. Quae cum sibi neget merito verti crimini, quod Lacedaemone derelicta Paridem quondam Troiam secuta sit, Hecubae partes sunt, ut Menelao quaecumque ad defendendam sese illa enarraverit, mere commenticia comprobet. Seneca autem, neglecta Menelai persona Andromacham altercantem facit cum Helena. Haec enim missa cum adesset, ut Polyxenam spe deceptam inani matrimonii cum Pyrrho iungendi ad mortem duceret, illius iram moverat ingentem atque odium. Nihil enim quidquid Helena moliatur suspicionem non adferre. Iam haec ab illa compulsa Polyxenam adfirmat in Achillis tumultu esse mactandam (944). Tum vero Hecuba quamvis summo ipsa adficiatur maerore, quod eripiatur sibi quae ex tanta liberorum caterva una reliqua sit progenies, tamen et Andromachae et Cassandreae acerbitate fortunae in comparationem vocata, filiae animum eri-

Eur. Troad. 1209 ss. (Hec.)

ὦ τέκνον, οὐχ ἵπποισι νικήσαντά σε
οὐδ' ἤλικας τόξοισιν, οὐς Φοῦγες νόμους
τιμῶσαν, οὐκ εἰς πληθμονάς θηρώμενοι
μητὴρ πατρός σοι προστίθης ἀγάλματα

Eur. Troad. 750 s. (Andr.)

τί μου δέδραζαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων
νεοσσός ὡσεὶ πτέρου γας εἰσπίπνων ἐμᾶς;

Eur. Troad. 782 s. 786 (Ulix.)

ἄγε παῖ, φίλιον πρόσπνευμα μεθεῖς
μητρὸς μογεράς, βαῖνε . .
λαμβάνειτ' αὐτόν.

Eur. Troad. 210 ss. (chor.)

μὴ γὰρ δὴ δίναν γ' Ἐρώϊα
τὰν ἐχθίσταν θεράπνιν Ἑλένας
ἐνθ' ἀντάσω Μενέλα δούλα
τῷ τᾶς Τροίας πορθητῶ.

Eur. Troad. 282 ss. (Hec.) cf. 275.

μυσαρῶ δολίῳ λέλογχα φρεσὶ δουλεύειν;

Eur. Tr. 275 ss. (Hec.)

ἐγὼ δὲ τῷ πρόσπολος ἂ τριτοβάμμονος χερσὶ
δευομένα βάρηρον γεραῖῳ κάρα;

1) Non mediocriter placet »patria« pro »parva«, quam Swoboda emendationem lenissimam recepit Peiper.

gere studet. — Atque eorum, de quibus modo disputavimus, partem ex Troadum fabula partem ex Hecuba sumptam esse patet. Nam quae Helenam loquentem facit poeta, eorum cum priori parte revocetur memoria verborum ambiguitatis, qua Talthybius usus Polyxenae timentem circumvenerit Hecubam (cf. Eur. Troad. 261 ss.), alia ex Hecubae et Helenae sermone, quem supra diximus, petivit. Ut vero componeret quae de Polyxena inde sequuntur, Hecubae Euripideae quaedam ad imitandum sibi proposuit. Extrema denique ubi Helenam nuntiantem audimus, Andromachae Pyrrhum, Cassandrae Agamemnonem, Ulixem Hecubae sequendos esse dominos ab eis, quae in Troadibus fabula exstant, propius absunt. Illa vero, quae in Graecorum classem Hecuba exsecratur, ut eadem qua ipsa velit clade adflicteretur, ex imitatione quadam Cassandrae, qualis in Troadibus Euripidis est, videntur esse conficta. Nam ne ea quidem cum nuptias suas Agamemnoni fraudi fore confidat, ad navem invita sequitur Talthybius.

Exigua quidem intercedit similitudo inter utriusque fabulae chorica, quae inde sequuntur (Eur. Tr. 1060 ss. Sen. 1009 ss.). Nam Euripides chori mulieres de eis, quae patriae, quae ipsae acciderint deplorantes facit omnibusque Helenam precibus detestantem; apud Senecam dolorem Troades captivae levare student docentes, ea quae etiam alios ferre videris magis tolerabilia esse mala; quod quidem solatium mox sibi queruntur ereptum fore in diversissimas Graeciae partes asportatis. Conferas vero:

Sen. 891 ss. (Andr.)

. . . Quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? pestis, exitium, lues
Utriusque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda totis ossa quae passim iacent
Inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.

Sen. 920 ss. (Hel.)

Sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui,
Deditque domum iudici victrix dea:
Ignosce Paridi.

Sen. 942 ss. (Hel.)

(Polyxene miseranda); quam tradi sibi
Cineremque Achilles ante mactari suum
Campo maritus ut sit Elysio, iubet.

Sen. 945 (Andr.)

Vide, ut animus ingens laetus audierit necem.

Sen. 960 s. (Hec.)

. . . sola nunc haec est super
Votum, comes, levamen, adflictae quies.

Sen. 967 s. (Hec.)

Laetare, gaude, gnata. quam vellet tuos

Eur. Tr. 891 ss. (Hec.)

ὄρω δὲ τήδε φεύγε, μή σ' ἔλη πόθω.
αἰρεῖ γὰρ ἀνδρῶν ὄμματ', ἔξαιρεῖ πόλεις,
πίμπροχοι δ' οἴκους· ὧδ' ἔχει κηλήματα.

Eur. Tr. 924. 929 s. 948 ss. (Hel.)

ἔκρινε τρισσὸν ζεύγος ὄδε τρισσῶν θεῶν.
Κύπρις δὲ τοῦ μὲν εἶδος ἐκπαγλουμένη
δώσειν ὑπέσχετ', εἰ . . .
νικᾷ Κύπρις θεά, . . .
τὴν θεὸν κόλαζε καὶ Διὸς κρείσσων γενοῦ
ὅς τῶν μὲν ἄλλων δαιμόνων ἔχει κράτος
κείνης δὲ δοῦλός ἐστι·

Eur. Hec. 220 s. (Ulix.)

ἔδοξ' Ἀχαιοῖς παῖδα σὴν Πολυξένην
σφάξαι πρὸς ὄρθον χῶμ' Ἀχιλλείου τάφου.

Eur. Hec. 213 ss. (Pol.)

τὸν ἐμὸν δὲ βίον, λῶβαν λύμαν τ',
οὐ μετακλαίωμι, ἀλλὰ θανεῖν μοι
ξεντυχία κρείσσων ἐκύρησεν.

Eur. Hec. 280 s. (Hec.)

ἦδ' ἀνὰ πολλῶν ἐστὶ μοι παραψυχή,
πόλις πρὸ γῆνι βιάκτων ἡγεμῶν ὁδοῦ.

Eur. Hec. 372 s. (Pol.)

μητέρο σὺ δ' ἡμῖν μηδὲν ἐμποδῶν γένη,

Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos.

λέγονου μηδὲ δρωσα· συμβούλον δέ μοι
θανεῖν πρὶν αἰσχρῶν μὴ κατ' ἄξιαν τυχεῖν.

cf. Eur. Tr. 679 s. (Andr.)

Sen. 969 s. (Andr.)

Nos Hecuba, nos, nos, Hecuba lugendae
sumus,

ἄρ' οὐκ ἐλλάσσω τῶν ἐμῶν ἤγει κακῶν
Πολυξένης ὄλεθρον, ἣν καταστένεις;

Eur. Tr. 677 s. (Andr.)

Quas mota classis huc et huc sparsas feret.

καὶ τῶν ὀλωλας μὲν σύ, ναυσθλοῦμαι δ' ἐγὼ
πρὸς Ἑλλάδ' αἰγμάλωτος εἰς δοῦλον ζυγόν.

Eur. Tr. 240. 243 (Talth.)

Sen. 975. (Andr.) 976 (Hél.)

Cui famula tradar, ede quem dominum voco?
Te sorte prima Scyrius iuvenis tulit.

ἤδη κεκλήρωσθ', εἰ τίδ' ἦν ὑμῖν φόβος.
κατ' ἄνδρ' ἐκάστη κοῦρ' ὁμοῦ λειλόγηται.

Eur. Tr. 271 s. (Hec.) 273 (Talth.)

Sen. 977 s. (Andr.)

Cassandra felix! quam furor sorte eximit
Phoebusque Hel. Regum hanc maximus
rector tenet.

τί δ' ἦ τοῦ χαλκεομήστορος Ἐκτορος δάμαρ,
Ἀνδρομάχη τάλαινα, τί ν' ἔχει τύχαν;
καὶ τήνδ' Ἀχιλλέως ἔλαβε παῖς ἑξαιρετον.

Eur. Tr. 247 s. (Hec.) 249 (Talth.)

Sen. 979 (Hec.) 980 (Hel.)

Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis.

τοῦ μὲν τίς τίς ἔλαχε τέκος, ἔννεπε,
τάλαμον Κασάνδραν;

ἑξαιρετόν νιν ἔλαβεν Ἀγαμέμνων ἄναξ.

ibid. 253 s. (Hec.)

ἦ τὰν τοῦ Φοῖβον παρθένον, ἧ γέρας ὁ
χρυσόκομης ἔδωκ' ἄλεκτρον ζῶάν;

Eur. Tr. 275 s. (Hec.) 277 (Talth.)

Sen. 993 ss. (Hec.) cf. 1005 ss.

Duc, duc, Ulixē¹⁾. nil moror. dominum sequor.
Me mea sequentur fata. non pelago quies
Tranquilla veniet. saeviet ventis mare²⁾.
. . . . hoc classi accidat
Toti Pelasgae, ratibus hoc mille accidat
Meae precabor, cum vehar, quidquid rati.

ἐγὼ δὲ τῷ πρόσπολος ἅ τριτοβάμιονος χειρὶ
δευομένα βάκτρον γεραῖῳ κάρα;

Ἰθάκης Ὀδυσσεὺς ἔλαχ' ἄναξ δούλην σ' ἔχειν.

Eur. Tr. 359 s. (Cass.) 403 ss. (Cass.)

κτεῖνῳ γὰρ αὐτὸν κἀντιπορθῆσω δόμονος
ποινὰς ἀδελφῶν καὶ πατρὸς λαβοῦσ' ἐμοῦ.
ἔν οἴνεκ' οὐ χροῖ, μήτηρ, οἰκτεῖρην σε γῆν,
οὐ τὰ μὲν λέκτρα· τοὺς γὰρ ἐχθίστους ἐμοὶ
καὶ σοὶ γάμοισι τοῖς ἐμοῖς διαφθερῶ.

Sen. 1042 ss. (chor.)

Solvēt hunc questum³⁾, lacrimasque nostras
Spargēt huc illuc agitata classis

Eur. Tr. 1266 ss. (Talth.)

χωρεῖτε Τρώων παῖδες, δοθῆσαν ὅταν
σάλπιγγας ἰχῶ δῶσιν ἀρχηγοὶ στρατοῦ,

1) »Ulixē« rest. Peip.

2) Confer Gronov. adnotat. ad v. 997 »Sumpsit autem haec Seneca ex persona Cassandrae apud Euripidem, quae se cladem et calamitatem fore Agamemnonis domui canit. Quod ad marginem quoque notaverat Grotius.«

3) Questum pro coetum ex Flor. libro rest. Peiper.

Et tuba ¹⁾ iussi dare vela nautae.

Sen. 1050 ss. (chor.)

Tum puer matri, genetrixque gnato

Troia qua iaceat regione monstrans

Dicet et longe digito notabit:

Ilium est illic, ubi fumus alte

Serpit in coelum, nebulaeque turpes.

πρὸς ναῖς Ἀχαιῶν.

Eur. Tr. 1320 s. (Hec.) 1322 s. (chor.)

κόινς δ' ἴσα καπνῷ πτέρουσι πρὸς αἰθέρα

ἄστον οἴκων ἐμῶν μεθήσει.

ὄνομα δὲ γὰς ἀφανὲς εἶαν· ἄλλα δ'

ἄλλο φροῦδον οὐδ' εἶ' ἔσαν

ἢ τάλαινα Τροία.

Iam vero in extrema fabula fieri non potuit, quin Seneca ut mutati argumenti exitum explicaret ab Euripide discreparet. Itaque nuntium quendam introducit, qui de caede tum Polyxenae tum Astyanacti inlata certiores faciat mulieres. Ex quibus Andromacha nescio qua mira immunitate adducta ab illo impetrat, ut multa narratione exponat, qualis Astyanactis caedes fuerit (1065 ss.). Corpus quidem pueri, qui fortissimo animo mortem subierit, ita dilaceratum esse, vix ut de sepultura cogitari possit (1110 ss.). Qua re Seneca quasi prohibitam finxit Andromacham, ne iusta ea faceret filiolo: apud Euripidem cum mortuo Astyanacte Talthybius in scenam prodit ab Hecuba petens, ut, Andromacha iam profecta, munus illud supremum obeat (Tr. 1133 ss.). Clamorum vero et lamentationum, quibus obrutum tanto casu nepotem Hecuba prosequitur, eorum quaedam in priorem fabulae suae partem transtulisse Senecam supra demonstravimus. At Astyanactea caede relata quae de Polyxenae mactatione eundem nuntium narrantem facit (1118 ss.) quanto opere in eis Hecubae fabulam Seneca secutus sit, ex versibus quos infra contuli intelliges. Ac ne Polyxenae quidem sepultura Hecubae apud Senecam curae est. Sed et ceteris suis casu infestissimo oppressis et eversa patria urbe, quod ipsam solam respuerit fortuna, lamentis se dedit. Iam vero naves petere Graecorum a nuntio captivae iubentur (1178 s.). Qua quidem in re cum etiam extrema fabula graeca versetur, tamen Senecam sprevisse quaedam intelliges, quae ibidem finxit Euripides. Nam apud eum Talthybius, Troiae incendio famulis imperato, Hecubam furore quodam concitatam ad naves Graecorum abripi iubet. Inde mulieres luctu confectae, cum iam urbem patriam nobilissimam dari vident flammis atque excidio ut conscendant naves proficiscuntur.

Versus vero conferendi hi sunt:

Sen. 1063 s. (Nunt.)

Mactata virgo est. missus e muris puer.

Sed uterque letum mente generosa tulit.

Sen. 1065 ss. (Andr.)

Expone seriem caedis et duplex nefas

Persequere ²⁾. gaudet magnus aerumnas dolor

Tractare totas. ede et enarra omnia

Sen. 1120 s. (Nunt.)

Idem ille populus aliud ad facinus redit

Tumulumque Achillis.

Eur. Hec. 548 s. (Talthybius Polyxenam loquentem facit)

ἐκοῦσα θνήσκω· μή τις ἀρνηται χροός
τωμόυ· παρεξω γὰρ δέρον εὐκαρδίως.

Eur. Hec. 516 s. (Hec.)

ἦ πρὸς τὸ δεινὸν ἦλθεθ' ὡς ἐχθράν, γέρον
κτείνοντες; εἰπέ καίπερ οὐ λέξων φίλα.

Eur. Hec. 521 s. (Talth.)

παρῆν μὲν ὕγλος πᾶς Ἀχαιῶν σιγατοῦ
πλήρης πρὸ τύμβου σῆς κόρης ἐπὶ σφαγᾶς.

1) Minus apte hunc versum Delrius putat spectare ad Eurip. Heracl. 830: ἐπεὶ δ' ἐσήμεν' ὄρθιον Τυρσηνικῆν σάλπιγγι et Rhes. v. 988: πανοῦς δ' ἔχοντας χροὴ μένειν Τυρσηνικῆς σάλπιγγος αὐδῆν. (cf. Gron. ad v. 1044.)

2) »persequere« pro »prosequere« Flor. librum secutus restituit Peiper.

Sen. 1148 ss. (Nunt.)

ut primum ardui

Sublime montis tetigit, atque alte edito
Iuvenis paterni vertice in busti stetit,
Audax virago non tulit retro gradum.

Sen 1152 ss. (Nunt.)

Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit ¹⁾.
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad cae-
dem piger.

Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit
Subitus recepta morte prorupit cruor
Per vulnus ingens, nec tamen moriens adhuc
Deponit animos, cecidit ²⁾, ut Achilli gravem
Factura terram, prona et irato impetu.

Sen. 1160 s. (Nunt.)

Uterque flevit coetus et ³⁾ timidam Phryges
Misere gemitum. clarius victor gemit.

Sen. 1178 s. (Nunt.)

Repetite celeri maria, captivae, gradu
Iam vena puppis laxat et classis movet ⁴⁾.

* Eur. Hec. 523 s. (Talth.)

λαβών δ' Ἀχιλλέως παῖς Πολυξένην χερσὶς
ἔστησ' ἐπ' ἄκρον χόματος . . .
(cf. v. 548 s.)

Eur. Hec. 562 ss. (Talth.)

ἔλεξε πάντων τλημονέστατον λόγον.
ἰδοῦ, τόδ' εἰ μὲν στέρον, ὦ νεανία,
παῖειν προθυμεῖ, παῖσον, εἰ δ' ἐπ' αἰχένα
χρηῖσι, πάρεσα λαμὸς εὐτρεπῆς ὄδε.
ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων οἴκτω κόρης
τέμνει σδήρω πνεύματος διαρροάς.
κροῦνοι δ' ἐχώρουν. ἴ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχημῶς πεσεῖν
κρύπτουσ' ἢ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεῶν.

Eur. Hec. 571 ss. (Talth.)

ἐπεὶ δ' ἀφῆκε πνεῦμα θανασίμῳ σφαγῇ
οἰδεῖς τὸν αὐτὸν εἶχεν Ἀργείων πόνον·
ἀλλ' οἱ μὲν αὐτῶν τὴν θανούσαν ἐκ χερῶν
φίλλοις ἐβαλλον, οἱ δ' ἐπιηροῦσαν πυρὰν
κορμῶδες φέροντες πευκίνους, ὁ δ' οὐ φέρων
πρὸς τοῦ φέροντος τοιάδ' ἤκουεν κακία·
ἔστηκας, ὦ κάκιστε, τῇ νεανίδι
οὐ πέπλον οὐδὲ κόσμον ἐν χεροῖν ἔχων;
οὐκ εἶ τι δώσον τῇ περισσ' εὐκαρδίῳ
ψυχῇ τ' ἀρίστη;

Eur. Troad. 1331 s. (chor.) cf. 1256 ss.

ὡ τάλαινα πόλις· ὅμως δὲ
πρόφερε πόδα σὸν ἐπὶ πλάτας Ἀχαιῶν.

1) Perperam hunc versum delendum putat Peiper, conl. v. 1146 (movet animus omnes fortis et leto obvius). At idem fere admisit Euripides, cum 548 s. Polyxenam dicentem faceret:

ἐκοῦσα θνήσκω μή τις ἄνηται χροὸς
τοῦμοῦ· παρέξω γὰρ δέρον εὐκαρδίως.

2) Cf. Delrium ad h. v. in Gron. ed. trag. p. 440.

3) »et« pro »at« cum Peipero scripsi.

4) Senecae Troadum oeconomiam, quae vocatur, poetam secutum esse incertum, qui Octaviae fabulam composuit, demonstravi in libro meo qui inscribitur: Die Tragödie Octavia und] die [Zeit ihrer Entstehung, Kiel 1863.